IANI VITALIS PANORMITANI

sacrosanctae Romanae Ecclesiae Elogia.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

IANVS VITALIS AD HIE=
ronimum saulium Archiepi=
scopum Genuen. et Bononiae
Prologatum

Quae mihi in exiguo crescunt pomaria fun
Atque principium germinis omnis habent,
Tu facile fundis passis radicibus imbres,
Afflat et arva tuus desidiosa vigor.
En flores, en illa ferunt uberrima foetus,
En Patris Autumni perficiuntur opes,
Sic quae de pleris facta est Vindemia ramis
Debetur meritis quantulacunque tuis,
Hos Sauli fructus meritorum agnosce tuorum,
Si modo sint mensis fercula digna tuis.

P. R. O. L. O. G. V. S.

IN QVO PRAECO LOQVITVR foris ad Populum.

Quicunque naue uectus huc adueneris,
Quadriga seu te traxerit, uel te pedes
Vectura ab omni debita molestia
Leuauerint, ut hanc uideres patriam,
Romanus aut sis ciuis, aut sis aduena,
Te uult rogatum harum patronus aedium
Has ut introeas multa sunt, si uideris,
Quae te iuuabunt, intus hic sunt affabre
Picti, ac decenter dedalis coloribus
Romanus ille Pontifex, ter maximus
Romana et alma Ecclesia, et clarissimi
(Qui Cardinales nunc uocantur) Principes,

Bini

Dicas mouere se, loquiq. existimes

Fictis dut sunt, se mouere non queunt,

Aut uerba contra interroganti reddere,

Quodq. utile esse dixeris valde adiuua

Ipsi patrono, liberalis sit licet,

Contenti ab omni parte non efflagitant

Potum, nec ulla delicata fercula,

Nec aestuant, nec ulla brumae frigora

Verentur, idem sunt sed omni tempore,

Nulle coquorum iure, nec farcimine

Mouentur, ast hic abstinet ab omnibus

Promiscuis mortalium conuiuijs,

Sunt arte namq. Iupiter, doctissima

Delineati, ut qui inspiret commode

Illos uidere, possit absq. tedio

Intrare gratis ergo liberaliter,

Est nam

Est nanq. auari ros, nimisq. sordida,
Stipem uolentes Lari uidere, poscere,
Praeter quod, Lare is qui impetrauit omnia
Est uir modestus, liberalis, optimus,
Tantum tabellas pendulas imaginum,
Quas intus hic uidebitis, ne tangite,
Cum uos legetis curiose singulas,
Aut amouete, uel maligne tollite.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

G f
V
A
Q
A
V
A
V
Su
He
Te
Pa
Co
H
Er
A
D

Qui feriati á ſerijs negotijs
Veniſtis, ut legatis has imagines,
Audite, quæ uos ſcire oportet antea,
Quos hic uidetis purpuratos principes
Aſtare pictos alterum poſt alterum
Vetuſtiores cæteris ſex admodum
Ab omnibus remotiores paululum,
Vocantur illi Epiſcoporum nomine,
Sunt Cardinales, differuntq; á cæteris
Hac dignitate, principales & gradum
Tenent priorem, cæteris in omnibus
Pares habentur, triplici nam nomine
Cenſetur omnes, hos uocaui Epiſcopos,
Hic, usq; ad illum fertur eſſe prébiter,
En horum ut eſt corona longa, Iuppiter,
Aſt ultimi, qui ſunt iuuenculi admodum,
Dicuntur omnes maximè Diacones,

[illegible] dictiones barbaras ?
Ad me quid hoc ? eſtote uel Democriti,
Hi cum latini penè ſint origine,
Omnes uocari maluere barbarè,
Nam cum recepti ſunt in hoc collegium
Antiquiores Cardinales optimi,
Vix ſunt adepti barbarorum quemlibet,
Qui ſe latina dictione affingeret,
Sic hoc remanſit nomen uſq; ad poſteros,
Nanq; impediti rebus ipſi publicis,
Et ſanctitate uitæ, & æquis moribus,
Fecere flocci rem ſuperuacaneam,
Venere deinde ad noſtra qui uſq; tempora
Mutare iam recepta ab antiquiſſimis
Decreta deſtitere, nam ſanctiſſimum,
Eſt prima quicquid ſanxit ætas, poſteris.
At ne teramus hic plus æquo tempus, et
Vos audiendo, ego & loquendo, perperam
Laſſemur, hic poſt pauca erit ſilentium,
Scitote tantum terminorum limites

Quicunq; immenſi ſeptem miracula mundi
Fortunæ arbitrio præcipitata ſtupes,
En quæ Roma ſuo mundum comprehendit in orbe
Quantum ſit ſpolijs facta decora nouis,
Quàm uerè eſt mundi Roma una unius imago,
Quàm ue unam Romã non niſi Roma refert,
En uelut expurgata repullulat ardua Quercus,
Grandior è cinere eſt Roma renata ſuo,
En uelut hi montes, ſaxa hæc immania paſſim
Excutiant Iulos, Scipiadasq; nouos,
Virtutemq; animis, maieſtatemq; ſuperbam
Infundant Genij bellipotentis ope,
Ergo qui Romã hanc, mundumq; tueris in illa
Nil debes oculis grandius inde tuis.

Candida quæ tota eſt, cui nulla in corpore leui
Eſt ruga, nulla fœditas,
Quam circum picto percurrit purpura limbo,
Et ueſtis auro ſquallida,
Cuiq́; caput cinctum triplici diademate fulget,
Et Indis unionibus,
Nec deſunt uirides in margine quaq; ſmaragdi,
Iaſpideſq́; Caſpiæ,
Quæ ſedet alta ſuper ſeptenis montibus inſons
Romana ſancta Eccleſia eſt,
Sub pedibus reuoluta iacet mœſtiſſima turba
Docentium mendacia,
Hic Macedo, hic Manes, hic Arrius impius, atq;
Latrator hic Sabellius,
Immiſti uulgo uirus lethale reſorbent,
Et falſa radunt dogmata,
Vndiq; mox circum euerſæ longo ordine ſedes
Stratis iacent ſeſſoribus,
Atq; Aſia ex omni, debellatoq; Canopo,
Et æstuoſa ex Africa

Sponte ſua inſani, aut armis liquere coacti
Hanc Veritatis hoſpitam,
Hinc cui ſacrarum incubuit ſapientia rerum,
Liuor ſubegit Græciam,
Helleſpontiacas dum tollere tentat in altum
Opiniones, corruit,
Vsq; adeo culpas hominum diuina nocentum
Vlciſcitur potentia,
Nunc omnes ſedes ueræ pietatis ubiq;
Fuſis iacent paſtoribus,
Sola deo dilecta parens pietatis, & uxor
Cæleſtis alma Principis,
Sanguine ſanctorum Romæ fundata uirorum
Immota ſtat, ceu machina,
Nec timet immanes terræq;, marisq; procellas,
Non & uiciſſitudines,
Cui dedit imperium æternum, & ſine finibus ullis
Supremus orbis arbiter,
Hanc pete qui cœlum pietate aſcendere in altum
Quæris, uel erras auius.

IVLIVS TERTIVS
PONT. MAX.

Qui ſedet auguſto in ſolio ſublimis, & aurea
Ambitur chlamyde, et triplici uenerāda corona
Tempora diuinis circūdatur argumentis,
Cui dextræ adduntur claues aperire potentes
Clauſtra bonis, a laperta malis debēt claudere cœ
In terris qui iura Dei uir ſuſtinet unus, (li,
Atq; animas ligat impuras, ſoluitq; ligatas,
Pro meritisq; ſuos diues partitur honores
Non ſolum uitæ leni qui luce fruuntur,
Verum etiam quorum tellus complectitur oſſa,
Tertius hic ille eſt Paſtorum Maximus orbis
Iulius, Ethruſca natus de gente, ſupremam
Maieſtatem omni nactus uirtute, potentes
Oſcula cui pedibus libant regalia, cuiq;
Aſſurgit totus ſtudijs ingentibus orbis,
Hos tibi Roma Deus ſūmos mādauit honores
Omnibus è regnis, ut nunq̄ ſancta poteſtas

Pontificis deleta tui ſoluatur, ab ipſo
Vsq; auctore Deo ſuprēma ad funera mundi,
Nam moriente uno ſuccedit idoneus alter,
Optaturq; uolente Deo, & cæleſtis in illo
Spiritus afflatur, ſemper nouus, eſt tamen idem,
Quid nam igitur latras crudelis Barbare? uirus
Quid tetrum fruſtra effundis? quæ te impia cæcat
Inuidia? ut doleant oculi tibi, corda fatiſcant,
Os frendat, titubent artus, inſaniat & mens,
Quod Pater æternos habeat Romanus honores?

ſic in nocte eius ſuit ...

EPISCOPI CARDINALES SEX.

IO: DOMINICVS CVPPIVS
ROMANVS EPISCOPVS HOSTIENSIS
SACRI CARDINALIVM
SENATVS PRINCEPS.

Varrones hilares Heroi aſſurgite ueſtro,
O & Catones nobiles,
Ille ſacrum meritis, & maieſtate ſenatum
Auget ſupremis laudibus,
Ille & regales oculis grauis afflat honores,
Ille & decoram gloriam,
Ille prior ſacro numeratur in ordine Patrum,
Et prima fert ſuffragia,
Paſtorem & latium primus dat honore Thiaræ
Chriſti unicum Vicarium,
Moribus ille adeo cultis, adeoq; politis,
Et comitate præualet,

Plerunq; ut caris facilis poſtponat amicis
Omnes neceſſitudines,
Caſibus in dubijs prudenti examine prudens
Rebus medetur publicis,
Si populos annona premat, ſi triſtis egeſtas,
Si uaſtitates urbium,
Rebus opem afflictis miſerans incommoda noſtra
Fert optimus mortalium,
Omnibus officijs præſens præſentibus inſtat
Frater, Paterq; publicus,
Illo nil ualidum magis, eſt nil fortius illo
Decet Parentem ut publicum,
Qui legis hæc igitur dic, spes tua, maxima Roma,
Diu ſuperſit Cuppius.

IO. CARD. SALVIATVS EPISCOPVS PORTVENSIS FLORENTINVS.

Culmine qui uiget in ſummo Virtutis,*&* Aequi,
Et ſanctitatis gloria,
Cui decus eloquij,cui cœli occulta pateſcunt,
Deiq; pura qualitas,
Cui cauſas Natura *ſuas pateſecit abunde,*
Et clara fecit omnia,
Quem genuit flos Italiæ Florentia *mater,*
Hic Saluiatus *eſt* Pater,
Non dolus heſternus non illi iniuria præſens
Accendit iracundiam,
Illius in ſancto fas ſemper pectore uiuit,
Et nuda ſemper Veritas
Ingenuè magnas res tractat,ducit honeſtum,
Et eſſe ſummam gloriam
Nil conſcire ſibi,nulla palleſcere culpa,
Omniq; abeſſe crimine,
Macte animo illuſtri,& pietate inſignis,habebit
Decet quod,iſta Sanctitas.

IO. PETRVS CARAFFA CARDINALIS EPISCOPVS TVSCVLANVS NEAPO LITANVS.

Cui radij occultæ rutilant uirtutis & æqui,
Cui forma, & facies cernitur apta Deo,
Ardua qui ſemper meditatur, & ocia ſemper
Ceu peſtes animi, deſidiamq; fugit,
Cui nihil occultum fecit Natura, Deusq;
Seu terra quæras, abdita, ſiue poli,
Cuius in ore habitat dulciſſima Suada diſerto,
Omnia quæ blando mitigat eloquio,
Qui uanas prædiues opes, ſpinoſaq; mundi
Mutauit leni commoda Pauperie,
Poſthabitiſq; opibus cæci pellacibus orbis
Theſaurum inuenit, diuitiaſq; Dei,
Mox illi inuidit Princeps Romanus honores,
Quos bona Paupertas, integra ſemper, habet
Inuitoq; caput Tyrium circumtulit oſtrum,
Et partem curæ iuſſit habere ſuæ,

Nobilis hinc auget meritis, & honore ſenatum,
Auro uti Carmanus ſi ſocietur Onyx,
Sit licet & claro prognatus ſanguine, qualem
Vix habet in regnis Parthenopea ſuis,
Nobilior tamen eſt proprio Caraffa decoro,
Vimq; intus mentis nobilioris habet,
Illum oculis luſtra aſſiduis, dic deinde Viator,
Hæc Petra præcipui eſt Ara uerenda Dei.

LODOVICVS BORBONIVS CARDINALIS EPISCOPVS FRAENESTINVS

Pergama dum peterent Danai fatalia Reges,
Iungeret & uires Græcia tota ſuas,
Non omnes Laertiadæ, non fortis Achillis,
Virtute illuſtres nec Diomedis erant,
Fulminis hic inſtar palantes fuderat hoſtes,
Hic Palamedea nobilis arte fuit,
Fortis conſilio, fortis ratione ſagaci
Ante alios ſenior non niſi Neſtor erat,
Neſtor conſilijs, armis pugnabat Achilles,
Conſilijs Neſtor plus metuendus erat;
Sic Romanus habet meritò Lodouice ſenatus
Neſtora, res magnas te ſuadente, ſuum,
Et quamuis uirtute uales, & lumine claro
Sanguinis illuſtras nobilioris auos,
Relligio tamen inſignes ſuperaddit honores,
Teq; uocat Patrem Gallia tota ſuum.

FRANCISCVS TVRNONIVS CARD. EPISCOPVS SABINENSIS.

Pacata prohibet qui bella horrentia dextra,
Et martiales impetus,
Curat & auerſos animos coniungere Regum
Pacis decorus arbiter,
Regius hic ille eſt Turnonius, ore benigno,
Benigniore ſpiritu,
Et quamuis opibus compoſtus abundet opimis,
Clariſq; præſit urbibus,
Diuitias putat eſſe tamen non regna, nec Aurum,
Nec Vniones Indicos,
Sed fas, atq; pium, sed pulchrũ, & nobile honeſtũ,
Et Veritatem candidam,
Hinc pacata ſuum Pompeium nominat illum,
Suum et Catonem Gallia.

IO. BELLAIVS CARDINALIS EPISCOPVS ALBANENSIS.

Cui caput egregium latialis purpura opacat,
Pendet & aurato laurea culta tholo,
Quem cunctorū oculi heroū admirantur, et unum
Ceu ſolem obſeruant ſidera clara ſuum,
Ille animo inſigni, inſigni Bellayus ore,
Atq; oculis pulchras afflat honoris opes,
Sordidam Auaritiam proprÿs ſplendoribus arcet,
Et procul á laribus præcipit eſſe ſuis,
Ille ſacroſanctos, totidem ceu numina, Vates
Inuitat magnis ſedulus officÿs,
Carmina & ipſe facit docta, mirabilis, arte,
Quæ poſſint Clarium ſola mouere deum,
Felix quæ genuit talem ſibi Gallia florem,
Cuius it aſſiduus regna per orbis odor,
Hunc lege regnorum clypeum Rex Galle tuorum,
Fortuniſq; uirum, ſi ſapis, adde tuis,
Illi conſilium dubÿs in rebus, et illi
Semper ineſt ſummo culmine ſumma fides.

CARDINALES PRESBITERI XXXVII.

CLAVDIVS GIVRI CARDINALIS SANCTAE AGNETIS IN AGONE, GALLVS.

Quæritis hic primos qui fert ſibi ſedis honores
Primus ſacerdos ſeptimæ
Vnde ſit? hunc genuit ſublimis Gallia opum ui,
Domusq; honore nobilem,
Iurius huic ſanguis clariſſimus, optimus ille
Ornat genus uirtutibus,
Conſilio præſente ualet, nihil auget in illo
Romana ſplendens purpura
Ipſe ſibi ſatis eſt, ſeu uos quæratis in alto
Fundata quæ ſunt pectore,
Seu quæ ſuccedunt peregrina, atq; extera in unum
Formantur illa Principem,
Conſtituuntq; animum nunc maieſtate beatum,
Nunc pulchrum honore gloriæ,
Vnde illo incolumi dicit ſua Gallia, noſter
En purpuratus Appius.

RODVLPHVS PIVS CARD. SANCTAE MARIAE TRANSTIBERINAE, CARPEN.

Nec Pictor, nec te potuit formare poeta
Pater Rodulphe patriæ,
Qualis es in facie pictor, quantuſq; polita
Poeta mente plurimum
Conticuere, hominum non poſſunt illa, uel illa
Examinari uiribus,
Ne dum uoce ulla, uiuiſq; coloribus edi
Modis, & ullis exprimi,
Itala maieſtas proprios congeſſit honores
In te parentem publicum,
Quos tibi theſauros diuino in pectore condas
Extant foris ueſtigia,
In tè habitat Pietas, quæ te nomenq;, decuſq;
Habere iuſſit proprium,
Nam pius es, de gente pia, clypeuſq; piorum,
Et forte propugnaculum,
In te conſilij uis ſumma, & dulcis honeſti
Scintillat ignis efficax,

Sic tibi dent ſuperi quæcunq; impenſius optas,
O' Templum, & ara Gloriæ.

IO A TOLETO CARD. S. PANCRATII COMPOSTELLANVS HISPAN.

Te licet immodicis natalibus Heſperus orbis,
Et dederit claris nobilem imaginibus,
Et priſcæ oſtentes quæſita ab origine gentis,
Raptaq́; uectrici barbara ſigna manu,
Illa quidem illuſtrem poſſunt te, clara, Ioannes
Ornare, & patribus cum numerare tuis,
Tu tamen in te ipſo tanto es præſtantior illis,
Et maieſtatem gentis es ante tuæ,
Vt tua tanta domus de te ſibi lumina quærat,
Splendoremq́; tuæ ſedula lucis amet,
Cætera cum dederit tibi ſors inuicta parentum,
Hæc uenit à genio gloriæ uiua tuo.

ROBERTVS DE LEONONCOVRT CARD.

SANCTI APOLLINARIS GAL.

Numam uidere ſi quis optas alterum,
Et alterum ſi Romulum,
En purpuratus hic Robertus nobilis
Ille ille Lenoncortius,
Spirans uigorem mentis, & prudentiam,
Priſcamq; fortitudinem,
Vides diſertis ſinxit ut coloribus
Illum diſertus artifex?
Naturam & arti, artemq; Naturæ obſequi
Vt imperauit inuicem,
Dices in illo ſubſilire ſpiritum,
Et palpitare muſculos,
Congeſſit huc Natura fœcundiſſimas
Dotes ſuperbæ Galliæ,
Locumq; in unum ſanctitatis ſymbolum,
Et Gratiarum lumina,
Quod ſi uideres pectoris reconditas,
Et mentis elegantias,

D

Non eſt imago uera Lenoncortij
Hæc, quam uidemus, diceres.

ANTONIVS MEVDONVS CARDINALIS SANCTI CHRYSOGONI, SIVE AVRELIANEN. GALLVS.

Hoc Meudona domus titulis inſignis opimis
Delegit ſidus Gallia clara tibi,
Quo pater ante alios radijs Antonius almis
Emicat, & mentis dat documenta ſuæ,
Et quamuis celebri Romanum laude ſenatum
Exornet meritis, nobilitetq; ſuis,
Plurima laus illi tamen eſt, quòd Gallia mater
Patrem illum appellat, præſidiumq; ſuum.

MARCELLVS CERVINVS CARDINALIS SANCTAE CRVCIS, POLITIANVS,

Quid dicam de te, te dignum culte Latinæ
Marcelle ſplendor purpuræ?
Hinc rerum abducor nam maieſtate tuarum,
Confundor illinc gloria,
Qualia Apes tardant molli Violaria cultu,
Florumq; diues copia,
Sic me tanta tui nunc huc, nunc diſtrahit illuc
Verenda moles nominis,
Heream ut attonitus, ſummoq; in margine linguæ
Abrupta uerba pendeant,
Nec meus es labor, ingenti ſub pondere nuto
Iniquioris ſarcinæ,
Sin te digna canam de te pater optime, ſaltem
Me digna uix balbutiam,
Vix humana tuas laudes percurrere lingua,
Vix quit honorum terminos,
Et quamuis taceam elinguis, circumtonat orbis
Te buccinator maximus,

Salue exurgentis columenq́ʒ, & gloria Romæ,
Et ſpes tuorum Temporum,
Nunc meritis anguſta tuis quæ pendet ab alto
Muri tabella margine
Mox erit immenſus prærupta mole Coloſſus,
Teſtis tuæ potentiæ.

MICHAEL SILVIVS CARDINALIS SAN-
CTI MARCELLI LVSITANVS.

Pierides ueſtro iamdudum aſſurgite Vati
Ex Helicone Deæ,
Et celebre inſigni, & longe uenerabile Lauri
Cingite honore caput,
Non ille in ſiluis, & propter luſtra ferarum
Carmina culta canit,
Orbis at in medio circumplaudente theatro,
Hic ubi fama uiget,
Eſt illi ſacra ſilua deis, ubi laurea ſcena
Delitias aperit,

Iam licet Aonios ſaltus, & barbara teſqua
Linquere, & omne nemus,
Quod ſibi habet Phœbus Parnaſſi in uertice, quodq́;
Vos Heliconiades,
Nobilis hic Siluæ iam iam ſeceſſus amandus
Ciuibus, Aſcra, tuis,
Hic nullæ inſidiæ, non hic immanis adunco
Dente timendus Aper,
Sed molles ſpirant Zephyri per Veris apricas
Semper olentis opes,
Hic curuant plenos paſſim poma aurea ramos,
Dulcis & halat odor,
Hic etiam ad liquidi dulciſſima murmura fontis
Dulce queruntur aues:
Salue ſilua deis cultoribus inclyta, Salue
Vate ſuperba tuo.

IO. HIERONYMVS MORONVS CARD. SANCTI STEPHANI IN MONTE COELIO MEDIOLANENSIS.

Si quibus ambitur radys Moronus honeſti,
Et quali honoris gloria
Hæc anguſta foris uulgo monſtraret, inani
Tabella ſcripta carmine,
Nullus ſol fului cum uerberat ora Pyropi
Splendore tanto fulgurat,
Quis maieſtatem ſynceræ mentis, & oris
Modeſtiam, quis gratiam,
Eloquio ille adeo facundus dixerit aptè
Confiſus, aut clementiam?
Ardentes uincit Pietatis uiribus ille,
Qua flagrat, omnes lampadas:
At Mens candidior niuibus, niueisq; liguſtris,
Syncerior'q; lilijs,
Regales contenta ſuis ſupereminet ingens
Omnes honores dotibus,

Tollite crudeles bacchata incendia Erymnes
Tumultuantis ambitus,
Tollite & hinc uilis ardorem funditus Auri,
Moronus hæc non appetit,
Cui finis diuinus Amor, cui ſumma cupido eſt
Synceritas pulcherrima,
Felix Roma opibus tantis, Eccleſia felix,
Felix & orbis ambitus.

CHRISTOPHORVS MADRVCIVS CARD. SANCTI CAESASRII IN PALATIO, TRIDENTINVS.

Nunc uos appello, quibus ingens ſpiritus, inſtar
Tonat tremendi fulminis,
Clangoresq; tubarum omnes, & timpana ſueti
Anteire uoce Stentores,
Vos Ciceronis opes, uos & ſublimis Homeri
Formate in altam machinam,
Madrucci & cuncto mundi ſpectante theatro
Vim buccinate nobilem,

Omnibus in rebus quos hic imitetur, in orbe
Nullos habet mortalium,
Arbiter ipſe ſibi eſt uitæ, rerumq; magiſter,
O glorioſum Principem,
Quin etiam ſecum certat ſplendoris honore,
Nec ſe ipſe uincens, uincitur,
Inde triumphato ducens ſplendore triumphum,
Et uicta honore gloria,
Ipſe ſibi exemplum ponit ſplendoris opimi,
Et liberalis copiæ,
Grandia inexhauſtis non ſolum flumina lymphis,
Pontiq; fluctus maximos,
Verum etiam Naturā, ingens quæ gignit, alitq;
Mundi impotentis ſemina,
Te nimis anguſtis uallauit finibus exlex
Fortuna, Princeps nobilis,
Iſti animo, imperium, ingenti, terræq;, mariſq;
Eſſet puſilla portio,
Salue qui humani ſuperas ſplendoris honores,
Cœlumq; pulſas gloria.

GEORGIVS ARMENIACVS CARD. SAN-
CTORVM IOAN. ET PAVLI, GALL.

Dum pietate grauem, ac meritis te magne Georgi
Cantare exilis noſtra Thalia parat,
Obſtruit os dextra mihi ſancta modeſtia, et inquit
Deſine, ſunt partes hæc decora ampla; meæ,
Noſter hic eſt, illum à teneris aſſueuimus annis
Ingenui celebres noſſe pudoris opes,
Illius à leni impacata ſuperbia corde
Exulat, & uirus ſecum habet omne ſuum,
Non animi florentis opes, non qualibus ille
Aſſiſtat, noſti, ſedulus officijs
Pingere uis, certis, quæcunq; coloribus, illi
Conueniant? mores pingere diſce meos,
Hæc ait, interea, dunq; huc indagine, & illuc
Perquiro, & mentis munera rara tuæ,
Obriguit lingua ægra mihi, & labefacta cucurrit
Continuò gelidus noſtra per oſſa tremor,
Sic quæ libaram laudum monimenta tuarum
Linquo alijs, impar ſarcina tanta mihi eſt.

E

FRANCISCVS MENDOZIVS CARD. SANCTI EVSEBII, SIVE BVRGENSIS HISPANVS.

Sol qui dimenſus ſpatioſa uolumina cœli
Heſperias caderet noctifer inter aquas
Vnus erat, ſurgens lumen qui proderet orbi,
Conderet & rutila luce cadente diem;
At poſtq̃ illuxit Mendozius alter Eous,
Immenſumq́; ſuo lumen ab axe dedit,
Heſperium qui ſe ſol præcipitabat in æquor
Surgit ab Heſperijs nunc radioſus aquis,
Ergo tibi gemini fulgent Hiſpania ſoles,
Te uidet hic ſurgens, te uidet ille cadens.

IACOBVS DE ANEBAVLT CARDINALIS SANCTAE SVSANNE GALLVS.

Ecquis nouellus Annibal
Cum purpuratis patribus
Hic, Roma, ſpectatur tuis?
Honor, decusq́; purpuræ,
Cunctæq́; lumen Galliæ
Quantum inſtar eſt in principe
Virtutis, ornatiſſimo,
Quæ comitatis lumina
Pictura monſtrat nobilis,
Qualesq́; mores regia
Exuberantes gloria,
Ille eſt benignus Annibal
Lexouienſis Pontifex?
Ille eſt, ſuo ſimillima
Imago heroiq́; maximè.

OTHO. TREVSEVS CARDINALIS SAN-CTAE SABINAE, SIVE AVGV-STANVS AVGVSTANVS.

Ecce tui auguſtum Vindelica principis inſtar
Auguſta flos Germaniæ,
En Pater ut mitis, paſtorq; ut mitior omnem
Oblitus iracundiam,
Pacato auerſæ leniſſimus annuat ore,
Dextraq; pacem porrigat,
O ſcelus, ò facinus, mitte hoc lethale uenenum
Diſſenſionis publicæ,
Iunge cicatrices, tibi uulnera relligionis
Sananda ſunt hoc pharmaco,
Heu corrupta tui mores imitare pudicos,
Ritusq; ſancti Principis,
Ah pudeat celebrem portenti ignobilis urbem,
Fœdæq; conſcientiæ,
Vos hæc abſumet crudelis, & impia labes
Omnes ad unum funditus,

Ah miſeri ergo Deum tam ſegniter amiſiſtis
Humanitatis exules ?
Aſpicite ad ueſtrum ſtudijs concordibus aſtrum,
Qua luce fulgens ſplendeat,
Hoc duce pacatum tandem perquirite portum
Securitatis aureæ,
Et uulgi obliti teterrima monſtra prophani,
Et efferas libidines,
Pyramidem ingentem Paſtori ponite ueſtro,
Et ueſtro Othoni Principi.

BARTHOLOMAEVS A CVOVA CARD. SANCTI BARTHOLOMAEI IN INSVLA HISPANVS.

Huic uni multùm debes Hiſpania, multùm
Roma, opibus diues tu quoq; facta ſuis,
Illa dedit patrias cunas tu iungis honores,
Vnde ſibi matres gaudet habere duas,
Dumq; ſibi tribuit totum hinc Hiſpania, & illinc
Addicit totum maxima Roma ſibi,

Parcite, ait Genius, rixis, nam Bartholomæo
Altera nec cunas, nec dedit altera opes,
Debeat ille Deo quicquid Natura creauit,
Quæ Fortuna dedit debeat ille ſibi.

FOEDERICVS CAESIVS CARDINALIS SANCTAE PRISCAE ROMANVS.

Si genitorem humeris quod poſt euerſa tuliſſet
Pergama Tros heros dicitur eſſe pius,
Quæ tibi ſpes patriæ, lux & clariſſima CAESI
Debentur meritis nomina digna tuis?
Tu legis euerſæ lachrymoſa cadauera Romæ,
Et facis æterna poſteritate frui,
Tu reparas quicquid caries abſumit, & ignis,
Et quicquid duro tempora dente terunt,
Viua tibi ſpirant Romanæ robora molis,
Imperijs quorum uix ſatis orbis erat,
Macte animo illuſtri, qui mortis ab ore reuulſa
Iſta, tuæ patriæ, non ſinis oſſa mori.

DVRANTES A DVRANTE CARDINALIS SANCTORVM APOSTOLORVM BRIXIENSIS,

Tu *quoq; Romanum fulcis fœcunda ſenatum*
Columna honoris Briſcia,
Illa quidem duro duriſſima marmore pondus
Præruptum, & ingens ſuſtinet,
Nulla ruina dehinc, nullusq; timendus hiatus
Cæleſtis huius machinæ,
Felix prole tua lætiſſima Briſcia, felix
Fœcunditatis ubere,
Nam licet & meſſis, pomorum & munere largo,
Bacchiq; abundes copia,
Plus ualet ingenijs cœlum iſtud nobile alendis,
Vberrimumq; regijs,
Quam ſi continuis educas menſibus Vuas,
Et quicquid Annus fert ſemel,
Gaude læta tuo iam præſule nanq; Luporum
Euertet ille machinas.

HENRICVS CARDINALIS SANCTORVM QVATVOR CORONATORVM LVSITANVS.

Iure coronati titulos tibi magne dedere
Henrice flos Hiſpaniæ,
Nam tibi magnorum regnorum opulenta corona
Debetur à maioribus,
Cum ſis progenies, antiqua ab origine, Regum
Præclara, florens, ſplendida,
Non tamen ulla tuos regnorum opulentia honores
Auget, facitq; nobiles,
Cum per ſe ſatis, atq; ſuper tua gloria creſcat
Fiatq; cœlo proxima,
Multaq; cum deceant præclaræ inſignia mentis,
Et corporis te nomina,
In quibus humanæ exuperas faſtigia laudis,
Tranſgreſſus omnes limites,
Te tamen ultra hominum confinia tollit in altum
Illuſtris una ſanctitas,

Illa bonum, illa pium facit, & dijs comparat ipſis,
Aequatq; ſanctimonia,
Salue, quem faciant magnum cum facta tuorum,
E uadis à te maximus.

PETRVS PACIECCVS CARD. SANCTAE BALBINAE HISPANVS.

Hæc Petra quam cernis ſpectator, nobilis eſt mons
Cuius, opes raras, culmen, honoris habet,
Ille uenenato non inficit aera partu
Serpentum, hic Terræ nulla aconita ferunt
Sed ſibi diuitias quales diuinus, Orontes
Et quales Arabum paſcua ſemper habent,
Hic ſibi flexanimi meditantur uoce uolucres
Carmina turbatos apta mouere deos,
Hic etiam blando ſinuoſa uolumine lympha
Non interrupto tramite lapſa fluit,
Has ſibi opes certas probitas tua candide Princeps
Hos ſibi theſauros, aurea ſemper, habet,
Felix quæ tenebras horrendi funeris arcet,
Viuit & æternis ſplendida temporibus.

RAYNVTIVS FARNESIVS CARDINALIS SANCTI ANGELI MAGNVS POENITENTIARIVS ROMANVS.

Cum te compoſitum, integrum, elegantem
Ranuti, aut hilarem, aureum'que partum
Matris Mnemoſynes, & orbis eſſe
Dico delitias amœniores,
Aut cum poſtmodó dico glorioſum,
Fortem, magnanimum'que, maximum'que
Deſunt omnia uerba comitatis,
Et deſunt mihi nominationes
Maieſtatis, & eſſe me poetam
Agnoſco ſterilem, aridum, imperitum,
Amplecti nequeam quòd hoc, & illud,
Et quam diſcupio magis, magis'que
Ingentes animi explicare honores
Iſtius generoſioris, ecce
Tam magis fugiunt, & hoc, & illud
Confuſum, implicitum'que, deſidem'que,
Nam clariſſimus ille ſplendor, ille

Clari ſanguinis, & domus ſuperbæ,
Quæ radicibus heret obſtinatis,
Et quæ tot ducibus uiget decora,
Et tot pontificum enitet thiaris,
Nil ſunt ad proprios tuos honores,
Quos Virtus dedit intus eſſe, quosq;
Theſauros tibi proprios parauit,
Sed quid te pater omnium leporum
Oſtentare foris diu laboro,
Cum pictor tibi fixerit diſertus
In fronte, atq; oculis, & ore toto
Mentis unanimes amœnitates
Splendoresq; animi ſuperbiores?

CAROLVS ANDEGAVENSIS CARDINALIS SANCTAE CAECILIAE SEV LOTHARINGVS. GALLVS.

Ferte Roſas pueri, date Lilia candida, honores
Humani generis, delitiasq; cano,

Sternite fronde ſolum, feriant concentibus auras
Cymbala, & arguto tibia blanda ſono,
Regia progenies canitur mihi Carolus ille
Maximus Andegauæ Gentis, et orbis honos,
Maiores cuius, de uicto Oriente, Trophea
Fixere in muris fortis Edeſſa tuis,
Inde Paleſtinos uenerata eſt Helia Reges,
Helia Idumæi regia ſancta Syri,
Hic uirtute diu regnatum, Odryſius hoſtis
Hic forti eſt fuſus, exiguaq; manu,
Sed quid connumerem heroum facta alta tuorum?
Cum per te ad laudes ſis ſatis ipſe tuas?
Tu potes, ante annos, maiorum munera obire,
Impubes iuuenis corpore, mente ſenex,
Tu potes inſigni Reges decorare corona,
Et dare diuini flaminis auctor opem,
Vnus agis Reges omnes, & ad omnia magna,
Ingenium fingis, conſtituisq; tuum,
Ipſa ſuos in te congeſſit Gallia laudes,
A te etiam laudes accipit illa ſuas.

HIERONYMVS VERALLVS CARDINALIS SANCTI MARTINI IN MONTIBVS ROMANVS.

Hæc Veralle caput quæ ſupra nubila tollit,
Et tibi fert caſtas planta pudica Roſas,
Illa diu incultis elanguit horrida ramis,
Non æqui metuens frigora iniqua Iouis,
Mox proprio aſſurgens ſenſim rediuina uigore,
Explicat intonſas ambitioſa comas,
Illam Auræ recreant hilares, ſol reſpicit illam,
Terræ illam lentum fertilis uber alit,
Sic it in immenſum rerum pulcherrima, & omnes
Nobilis hyblæas uincit odore Roſas,
Hæc quæ nunc Veneris humanos indicat ignes,
Tempus erit ſanctum cum feret alma Iouem.

10. ANGELVS MEDICES CARDINALIS SANCTAE POTENTIANAE MEDIOLANENSIS.

Iure ſacroſancto numeratur in ordine Patrum
Hic infulatus Angelus,
Qui belli ingentes moderatur fortiter auſus,
Sanctéq; Pacis fœdera,
Cui uiget inſignis ſacrarum gloria legum,
Et ſancta honeſti regula,
Candidius nihil eſt illo, incorruptior illo eſt
Nihil, nihilq; fortius,
Et licet ipſe ſuos quæſiuerit auctor honores,
Inuictus alter Hercules,
Huc etiam accedit laus ornatiſſima gentis,
Domeſticiq; ſanguinis,
Cuius honor latè Italiam compectitur omnem,
Et exteras prouincias,
Non minor ipſe tamen cunctis maioribus, omnes
Fines tuetur proprios,
Hic eſt Roma tibi uictoris imago Luculli,
Et æqui imago Scæuolæ.

BERNARDINVS MAFFAEVS CARDINALIS SANCTI CIRIACI IN THERMIS ROMANVS.

Tu licet ingenti fortuna utaris, & idem
Virtutis amplo munere,
Non tamen æquaſti totidem Maffæe tenores
Virtutis, & potentiæ,
Plus habet illuſtris uirtus ſibi muneris in te
Modeſta quàm potentia
Tempus erit trutina cum uis pendetur eadem
Virtutis, & potentiæ,
Virtutem æquabit cognata potentia, & iſdem
Claudentur ambæ terminis
Altera in alterius requieſcet pectore, & ambæ
In te manebunt ſedulæ,
Altera te ſanctum, tibi conſulet altera ſancto
Cunctis in actionibus,
Nunc tantum dictum uolui caput illud, & illud
De te uir omnis gloriæ,

Ne laberynthæis ambagibus implicer omnes
Ambire adactus angulos,
Quasq; tui dotes libo nunc corporis, olim
Mentis, loquentur ſæcula.

TIBERIVS CRISPVS CARD. SANCTAE AGATHAE ROMANVS.

Non tibi quòd patria eſt rerum pulcherrima ROMA
Quòdq; nites priſcis clarus imaginibus,
Quòdq; ſacroſanctum ceu fax accenſa ſenatum
Illuſtras meritis, officyſq; tuis,
Te colimus, uerùm quòd de te liuida amarè
Nulla unq; proterit pagina Criſpe loqui,
Si ſyncera fides in te, ſi prona uoluntas,
Si tua quæratur dedala ſedulitas,
Te locus oſtentat, te buccinat inclytus ordo,
Te probat amplorum plena corona Patrum,
Maxima teſtatur de te clariſſima Roma,
Qualia de Fabijs, Cæſaribusq; ſuis,
Laus magna eſt urbem teſtem uirtutis habere;
Maior at eſt orbem laudis habere ſuæ.

CHRISTOPHORVS A MONTE CARDI-
NALIS SANCTAE PRAXEDIS ARET.

Expediant alij doctiſſima blandius ora
In laudes hominum, delitiasq; deum,
Sydonium melius proſcindant nauibus æquor,
Abducantq; ſacras mollis Orontis opes,
Ingeniumq; acuant abſtruſis artibus arduis,
Et melius ualeant abdita noſſe poli,
Sit tibi libertas pacato dulcis in ore,
Sit lepor argutus, ſint ſine felle ſales,
Integra mens nihil immundū ſibi ſciſcat, & horrēs
Et nihil inuito curet, agatq; Deo,
Hæc tibi erunt laudes inter quos, diues honores
Dat tibi diuinos purpura Chriſtophore.

FVLVIVS CORNEVS CARDINALIS SAN
CTAE MARIAE IN VIA PERVSINVS.

Protulit in mediū fæcunda Peruſia quales
Ambiat orbis opes,

Et tibi Roma omnes partita eſt laudis aceruos

Inuidioſa ſuæ,

Fululus hic ille eſt lux tempeſtiua ſenatus,

Delitiæq́; tui,

Ingenio ille adeo præſtans, & cultus amœno eſt,

Nobilibusq́; modis,

Vt tibi ſit Veris iucundus nobilis inſtar,

Moribus egregijs,

Sic Aurum exornant uiridi ſplendore ſmaragdi,

Sic pretioſus Onyx,

Viue diu iuuenis quo non præſtantior alter

Lumen honoris amat.

IO. MICHAEL SARACENVS CARDINA LIS SANCTAE MARIAE AD ARAM COELI NEAPOLITANVS.

Ad te confugio uirgo Sebethis, & ad te

Quæ tegis illuſtres Nympha Maronis opes,

Teq́; Dicarchei Syren blandiſſima portus

Accola, qua nuſq́; dulcius ulla canit

Vos etenim noſtis Saraceni nobile ueſtri
Ingenium, & dotes quas bonus intus habet,
Dicite uos quoniam ueſtros meminiſtis honores,
Quos dudum fecit maxima Roma ſuos,
Sic ego, ſic tumulo excepit Sebethis ab alto
Ardua ſunt cœptis commemoranda tuis,
Ante diem claudent redeuntia ſidera, & ante
Heſperias Thitan ſerus inibit aquas,
Pauca tamen magnis ut delibemus aceruis,
Nec premat has teter liuor honoris opes,
Dic illum patriæ lumen; dic eſſe decorem
Egregium Latij, dic decus Italiæ,
Dic ſanctarum illum decorare oracula legum,
Et ſcita ante oculos ſemper habere Dei,
Dic & delitias Naturæ, diuitiasq;,
Dic quicquid melior, ſanctius orbis habet,
Magnaq; cum repetens hæc dixeris omnia, plura
His adenda tibi mox noua ſemper erunt.

10. RICCIVS CARDINALIS SANCTI VITALIS POLITIANVS.

Diſcrucior, tecum de te quòd prouide Ricci
Qualia concepi non licet illa loqui,
Quòd te habeat ſẽper Prĩceps Romanus ad aures
Nec uacet à ſtudijs perbreuis hora tuis,
Nunc populis adhibes operam, curamq; regendis,
Nunc formam accipiunt publica iura ſuam,
Iulius ipſe tuis oculis circumſpicit orbem,
Ingenio niſus, conſilioq; tuo,
Te pietas, te ſumma fides, te blanda uenuſtas,
Et te conſtantes ſedulitatis opes,
Laudibus egregijs hinc uſq; ad ſidera tollunt,
Immiſcentq; choris, concilijsq; deum,
Adde quòd Italiæ ſummis in montibus Aras
Virtuti addicunt, conſtituuntq; tuæ,
Aſt tibi ego nequeam dare cũ ſacra magna, litabo
Oſcula terna manus ter repetita meæ.

IO. ANDREAS MERCVRIVS CARDINALIS SANCTAE BARBARAE MESSANENSIS.

Quæ tibi Trinacriæ ſurgunt in montibus altis
Trophæa magna gloriæ,
Hæc tibi Fortunæ deuicto robore iniquæ
Virtus ſacrauit MERCVRI,
Hic ubi mox paribus iunxerunt fœdera uotis
Factæ uiciſſim amabiles,
Huc Lilibeus, & huc ingenti mole Pachinus,
Huc & Pelorus ſpumeus,
Huc Veneri dilectus Eryx, huc nobilis Aetna
Præclara mittunt munera,
Aeternum æterni monimentum, et pignus amoris,
Et ſempiterni fœderis,
Felix quem nixæ ſunt altera, & altera honores
Ad tam decoros tollere,
Nunc uos Sicelides Muſæ, decora inclyta cœli,
Demittite huc Theocrytos,

Nunc & Steſichoros, Archiſtratoſq; diſertos,
Et Aegiſandros nobiles,
Et noſtrum heroem diuina uoce canoræ
Cantate patrem Patriæ,
Nanq; decent illum tam noſtræ munera linguæ
Quàm Solis ignes nubila.

IACOBVS PVTEVS CARD. SANCTI SIMEONIS NICENVS.

Heſperidum uigili fama eſt cuſtode Dracone
Pendere intactis arbuta in arboribus,
Et foueis cõgeſtum Aurum, abſtruſumq; latebris
Seruare immanes Gryphes Hiperboreis
Ecce tuas gemini cohibent Iacobe Dracones
Diuitias, quibus eſt uilior omnis Onyx,
Hic Puteus claras tibi fert uberrimus undas,
Cui cedat laudes Pegaſis unda ſuas,
Accipit humani documenta immenſa decoris
Quiſquis ab hoc dulci pocula fonte bibat,
Iure igitur gemini ſeruant pretioſa Dracones
Munera, ne uulgus tot ſibi quærat opes.

SEBASTIANVS PIGHINVS CARDINA-
LIS SANCTI CALIXTI REGIENSIS. obijt

Non te ſacrarum longa experientia legum,
Non multiplex ſcientia,
Qua polles, præſtasq; gradus aſcendere ad altos
Iuſſit decoræ purpuræ,
Ingenuæ ſed mentis opes, ſed candor apertæ,
Sed nobilis prudentia,
Quosq; inhiant alij regales ſemper honores,
Et ambiunt præſentia,
Accipis imprudens oblatos, accipis abſens,
Sperare, præ modeſtia,
Quos uix auſus eras, cum te Pighine decerent,
Vt nunc decent, pulcherrimè,
Laus magna eſt alto decorari culmine honorum,
At maior eſt honoribus
Eſſe decori ipſis, magna eſt & poſſe mereri
Claras honoris laureas,
Maior at eſt ſponte ad faſtigia celſa uocari
Sperata nunq; gloriæ,

Non ſunt uentoſæ Fortunæ hæc munera, ſed sũt
Virtutis, & prudentiæ.

ALEXANDER CAMPEGIVS CARDINALIS SANCTAE LVCIAE IN SILICE BONONIENSIS.

Tu quoq; Alexander nil unq̃ tale putabas,
Cum cinctum eſt rubeo nobile honore caput,
Quæſitum ueniunt te maieſtatis honores
In patre qui quondam conſtituere tuo,
Quos meruiſti olim geris en Virtutis honores,
Sed maius gerere eſt quàm meruiſſe fuit,
Laus magna unanimi eſt populorũ occurrere uoto,
Et deſiderijs non ſinere eſſe locum,
Maior at eſt teſtem meritorum extare tuorum
Iudicium ſummi principis egregium,
Te licet immenſum quæ tolit ad æthera Virtus
Teſtis, Virtutis gaudeat eſſe tuæ.

PETRVS BERTANVS CARDINALIS SANCTORVM PETRI, ET MARCELLINI SEV PHANEN. MVTINEN.

Hæc Petra quã ſancto exciſam de Monte uidetis
Trans ire excelſis aſtra cacuminibus,
Hæc eſt illa Deus ſibi quam delegit ut eſſet
Aedis honoratæ nobilis Ara ſuæ,
Neſcio quid maius humana mole Camænæ,
Quod mihi, ueridicæ, uaticinantur, erit,
Quicquid erit non eſt mortali uoce canendum,
Nec capit humanos machina tanta ſonos,
Creſcet in immẽſum Montẽ hæc ſanctiſſima Petra
In quo conficiet ſacra nouellus Aron.

FABIVS MIGNANELLVS CARDINALIS SANCTI SILVESTRI SENENSIS.

Dum Sena ſuccutitur uiolentis motibus inſtar
Vertiginoſi fluminis

H

Abiectoq́; iugo nutat Reſpublica, & intus
Magnis procellis fluctuat,
It Fabius patriæ motus pietatis amore
Et conſulenda conſulit,
Alloquitur dubium facundus uerba ſenatum
Securitatis auræ,
Implet ſpe trepidos, nutantia pectora firmat
Ciuis, paterq́; publicus,
Præterita enumerat, præſentia diſcutit, addit
Ventura quæ ſint poſtea
Seditioſa tamen cauea omnia laudat, & inde
Salutis obliuiſcitur,
Tempus erit tantæ uulgò cum tedeat urbem
Fortiſſimam diſcordiæ,
Et Fabium optabunt conſultoremq́;, Patremq́;,
Et forte propugnaculum.

IO. PODIVS CARDINALIS SANCTAE ANASTASIAE BONONIEN.

Abdita dum tenet obductis Hiſpania terris
Bononienſem Podium,

Roma dat, egregiæ teſtis uirtutis, honora
Sacri Galeri præmia,
Illum trans flauum quæſitum it purpura Iberum,
Bætimq; trans, & Durium,
Ille humanorum ſubijt faſtigia honorum
Gradus per omnes nobiles,
Salue Italæ Virtutis honos, Salue optime ſplendor
Sinceritatis optimæ,
Tu uerè in ſtadio certaſti fortis amaræ
Virtutis, & prudentiæ,
Inſigneinq; tibi quæſiſti inuictè coronam
Sublimioris gloriæ,
Viue diu, factisq; adſis tibi laude decoris,
Cœpiſli ut usq; à paruulo.

IO. BAPTISTA CICADA CARD. SAN-CTI CLEMENTIS GENVEN.

Me pudor illuſtris tuus officioſe Cicada
Parcius in laudes præcipit ire tuas,
Innixusq; mihi trahit ad ſe parcus habenas,
Currere dum ſpumans noſter anhelat equus,

Sic ego qui dudùm de te memoranda parabam
Dicere, quando inhibes, poſtmodò mutus ero,
Nec diſcent populi per me quo lumine fulges,
Et, quæ præcipua eſt, qua pietate nites,
Et gradibus quibus egregiæ Virtutis, & æqui
Additur iſte tibi tantus honoris apex,
Sed quamuis taceam ſaxa hæc te, muta, loquentur
Sedula, & in laudes facta canora tuas,
Nam ſi quis uaſtas Rhodani, Erydaniq; ſuperbas
Claudere in anguſto margine tentet aquas,
Non erit hic omnis uanus labor? omnia Aquæ uis
Nam tandem erupens impetuoſa trahet,
Sic tua quà aſcendit, quà mox declinat Eous
Dicetur titulis gloria fulta ſuis.

HIERONYMVS DANDINVS CARD. SAN CTI MATTHEI CESENATEN.

Dum tibi sydonium meditatur Iulius Oſtrum
Et Cardinales infulas,

Magnorumq; parat dum præmia grata laborum
DANDINE uir clariſſime
E ſeptem geminis plaudit tibi collibus ingens
Regina Roma gentium,
Ipſe etiam flauo ſurgens Tyberinus ab alueo
Magna ominatur munera
Quin et Nympharum accita plaudente corona
Ventura fata ſoluit
Incinctus Ruſco frontem, cannáq; paluſtri,
Vliginoſus cætera,
Quæ neq; fas audita loqui, neq; dicere cuiq;
Viuentium myſteria,
Omnia læta tamen, tamen omnia fortunata
Senex canebat præſcius,
Montibus è ſummis uenturum Numen Ethruſcis
Sabinianis ſcilicet,
Vnde tibi ingentes aſſumerentur honores
Et Cardinalis purpura,
En tandem tempeſtates, rerumq; procellæ
Tranquillitatem proferunt

Et tua uentoſum nauis iactata per æquor
Portum quietis poſſidet,
Anchora iam firmat ferrato dēte carinam,
Leguntur ecce carbaſa,
Iam ualeat tandem exhauſtis fortuna procellis
Laborioſioribus,
Imperat in ſummo ſublimis uertice Virtus,
Nullis mouenda caſibus.

CARDINALES DIACONES SVNT XV.

FRANCISCVS PISANVS CARDINALIS SANCTI MARCI. VENETVS.

Ille uides grauitas cui plurima regnat in ore,
Cui frons eſt mentis perpes imago ſuæ,
Poſtremo primus qui lenis in ordine patrum
Oſtentat Venetæ nobilitatis opes,
Ille eſt cui multum ueneranda modeſtia debet,
Cui multum charites, ingenuusq; pudor,

Pontificem ille etiam ſummum dat honore thiaræ,
Et lateri aſſiſtit ſedulus ante alios,
Et quamuis Piſæa domus nitet alta trophæis
Nusq; ullum tanto principe maius habet.

HERCVLES GONZAGA CARDINALIS SANCTAE MARIAE NOVAE, MANTVANVS.

Sit quamuis celebri ſublimis laude Maronis
Superba rerum Mantua,
Sit Gonzaga domus titulis licet alta ſuperbis
Virtutis, atq; Gloriæ
Qua nihil Italia in magna ſplendentius ambit
Perenni Eous lampade,
Vnde duces plures, armorum gloria, & unde
Venere plures principes
Quàm Troianus equus tulerit Mauortis alumnos,
Et lecta belli robora,
At tamen illa habuit nihil unquam maius, habetq;
Auguſtius te Principe,

Præterea ante alios pietas tua laudis honores
Et duplicat prudentiæ,
Et prope ſtagnantis leniſſima littora Minci
Honoris aram dedicat,
Hic ubi ſcripta notis ſunt grandibus aurea uerba,
Diuo, Ara Honoris, Herculi,

HIERONYMVS AVRIVS CARD. SANCTI THOMAE IN PARIONE GENVEN.

Tu quamuis Lygurum Regina nobilis Auri
Vtaris urbe ſedulò
Quam ſibi Porciferæ poſuit propè littora Ianus,
Prope & Biſamnis alucos,
Accipit ipſa tui radios tamen inclyta ſolis
Regina Roma Gentium,
Iſtius & lucis radiata nitore coruſcat,
Cæleſtis inſtar lampadis,
Felix qui, præſens, claras clariſſimus Vrbes
Abſensq; reddis nobiles.

ODETTVS A CASTILIONE CARDINALIS SANCTI ADRIANI GALLVS

Hoc tibi in immenſo decorum, laudumq; Theatro
Non deerunt partes Caſtalione tuæ,
Nil commune tibi uili cum plebe uidebis,
Nec partes ſerui, nec balatronis ages,
Sed Regum tituli accedent, ſed nobilis heros
Tractabis ualida ſceptra ſuperba manu,
Hic tu Phœbus eris, uel Phœbo proximus Oeuan,
Iuppiter aut maior hiſce duobus eris,
Omnia nanq; decent te grandia, & omnia læta
Sic tibi ſint ſtudijs omnia læta tuis,
Tu non bellorum populis, cladisq; futuræ,
Nuntius, aut Vates ſanguinolentus eris,
Sed nobis bene ſperandum, procul ut ſit egeſtas,
Succedantq; hilares, & ſine nube dies,
Annonamq; unctam lætiſſimus impleat Annus,
Et ſpirent lenes uitæ alimenta noti.

ALEXANDER FARNESIVS CARDINALIS SANCTI LAVRENTII IN DAMASO VICECANCELLARIVS ROMAE.

Hic ego te aſpicio Farneſi, an fullor? imago eſt,
O utinam præſens conſpicerere mihi,
Gallia te inuidit Romæ longinqua propinquæ,
Theſaurosq; ſuos inuidioſa tenet,
Crudelis Fortuna uiros quæ tollis in altum,
Mox premis indigno, facta nouerca, pede,
Non tamen uſa tuis quantumuis fraudibus illi
Abduces ſolidas quas habet intus opes,
Non illi eripient quamuis cocatis in unum,
Aut mors, aut meritis fata inimica ſuis,
Quin modo qui fuerat Romanæ filius urbis,
Nunc eodem æterno non ſit amore pater,
Quinet ſi liceat ueris herere, triumphat,
Nunc etiam uictor lecta per ora uirum,
Nec tantum poterit telis fortuna proteruis
Vt deſiderium tollat iniqua ſui,
Ipſe ſibi Romam quocunq; acceſſerit, ipſe
Fortunam finget, conſtituetq; ſuam.

GVIDO ASCANIVS SFORTIA CARDINALIS SANCTAE MARIAE IN VIA LATA SEV SANCTAE FLORAE, CAMERARIVS ROMANVS.

Sanguinis inſignes, & maieſtatis honores
Interminatos Sfortia
Iungit Romanæ, ceu diues Iaſpis in auro,
Honoribus cum purpuræ,
Aſpicite ô ciues quantum ſplendoris in illo,
Et fulget innocentiæ,
Quis numeret genus antiquum, et Regale paternũ,
Maternum & illud nobile?
Quis huius monimẽta domus, quis narret & huius
Et regias imagines?
Hinc magni longo deſcendunt ordine Reges,
Et purpurati præſules,
Illinc pontificũm fulgent, decora alta, thiaræ,
Et glorioſi Principes,
Ipſe dehinc propria decoratus laude, parentum
Immenſam opacat gloriam.

REGINALDVS POLVS CARD. SANCTAE MARIAE IN COSMEDIN, ANGLICVS.

Reginalde tibi regni Fortuna Britanni
Debebat meritis par diadema tuis,
Sed quoniam auerſa eſt Virtuti ſemper, & obſtat
Ingenua egregijs integritate uiris,
Tranſtulit imperij immenſos ſublimis honores
Inuitis, aliò, ſeditioſa, Deis,
At tua mox Virtus alios tibi ſancta parauit
Quos titulos celebris, diues honoris, habes,
Et quamuis eadem perſtet Fortuna nocere,
Splendoremq; premat dura inimica tuum,
Plus tamen alma poteſt Virtus tua, protegit illa
Te clypeo, & firmis uiribus uſa ſuis,
Illa triumphato fortunæ robore tandem
Reſtituet meritis munera adempta tuis.

NICOLAVS GAIETANVS CARD. SANCTI NICOLAI IN CARCERE, ROMA.

Venit ad immenſam frugem tua nobilis Arbor
Roma tibi hæc ſacri diues honoris opum,

Bracchiaq; extendit totum diffuſa per orbem,
Et ſubit excelſis aſtra cacuminibus,
Pontifices auguſta tibi, auguſtasq; thiaras
Et dedit illuſtres imperioſa duces,
Vnde uenit Princeps nunc Caietanus auitæ
Heres uirtutis, ſtirps generoſa tuæ,
Cedite uos celebres Quercus, uos cedite Lauri
Vos licet ornetis tempora dia ducum
Principe ab hoc uno ſuccedet gloria maior
Quam quicquid poterant ſæcula priſca dare.

HYPPOLITVS ATESTINVS CARD. SANCTAE MARIAE IN AQVIRO, FERRA.

Hanc tibi Pyramidem, ponunt tria numina, Fama,
Aeternitas, & Gloria,
Hyppolite, illa tribus aſſurgit ad æthera ſummæ
Sublimis, artis, angulis,
Hinc auguſta domus numerantur facta uetuſtæ,
Originesq; Regiæ,
Gentis Ateſtinæ, mox nobilis urbis honores
Ferrarienſis inclyti,

Et monimenta antiqua tuorum, & mille trophæa
Quæſita tot uictorijs,
Tertius inde tuis inſcriptus laudibus, omnem
Vincit priorum gloriam,
Hinc populi aſſurgunt, Seruatoremq́; ſalutant,
Seruatæ & hinc Reſpublicæ,
Illinc purpureo pro caſſide tectus amictu
Sperare cunctos præcipis
Bellorum extinctis facibus, trepidoq́; tumultu,
Securitatem maximam,
Nec plena eſt omnis facies annalibus iſtis,
Tuiſq; factis fortibus,
Nam ſemper, ſemperq; manus ſtudioſa labori
Addunt uiciſſim Numina.

IACOBVS SABELLVS CARD. SANCTO-RVM COSMAE ET DAMIANI LEGA-TVS PICENI, ROMANVS.

Non capiunt anguſta tuas hæc carmina laudes
Sabelle nec uim Gloriæ,

Tu uon dum teuera comptus lanugine malas
Fulſiſti honore purpuræ,
Nunc populos regis, & præclaras legibus urbes,
Et corrigis prouincias,
Ante diem hauſiſti argutæ tibi robora mentis,
Senilis & prudentiæ,
O quales, præ te fers maieſtatis honores,
Quales & ignes gloriæ,
Et qualem accendis ſpem nobis, qualia præſtas
Clari uigoris ſemina,
Ille tuæ ſplendor Gentis licet occupet orbem,
Et alta pulſet ſidera,
A te plus decoris tamen accipit, omnia quàm ſi
Iungantur unà cætera.

HIERONYMVS CAPIFERREVS CARD. SANCTI GEORGII AD VELABRVM, RO. LEGATVS ROMANDIOLAE.

Cum ſis delitiæ omnium Quiritum,
Totus Geniıneus, aureusq; totus

Cur mauis Capiferreus uocari?
Ah durum nimis, & nimis proteruum
Eſt ferrum, & fera res, ad elegantes
Iſtos, ingenuosq́;, candidosq́;
Mores, nec bene quadrat hoc; ad illud,
Hoc ſolent Hieron modo uocari
Parcæ, hoc impia bella, quòd & illæ
Non parcant, quòd & illa bella non ſint,
Sic te, cum decus omnium leporum,
Et cum ſis pater elegantiarum,
Feremus Capiferreum uocari.

IVLIVS A ROBORE CARD. SANCTI PETRI AD VINCVLA VRBINAS PERVSIAE LEGATVS.

Quæ modò uix teneros, diffundit in æthera ramos
Et fert inſignes aurea Quercus opes,
Credite erit tempus cum nec Dodona, nec Ida,
Alta nec hircipedi Mænala grata Deo

Horrebunt ramis oracula ſumere ab illis,
Vocales quatiet cũm leuis aura comas,
Obſequiumq; ferent, ſic quæ fuit illa Tonantis
Olim arbor, dudum Iulia Quercus erit,
Hæc, ad pilecli Romam cum tendit honorem,
Iulius, aſſurgens, uerba, Mutaurus ait.

CAROLVS DE VENDOSME CARDINALIS SANCTI SIXTI GALLVS.

Qui monimenta tuæ numeret ſublimia gentis
Et regias origines,
Ille idem Oceani fluctus numerabit, & idem
Meſſes feracis Aphricæ,
Tu uero ipſe tuis ornatus dotibus illas
Auges amœne Carole,
Hæ tibi ſunt laudes, mentis tu munere diues
Caduca temnis corporis,
Namq; ubi ſit Virtus animi Regina beati
Fortuna ſeruit impotens

Corpore liber eris, quoniam Mens libera uiuit
Peſtes fugans libidinum.

INNOCENTIVS A MONTE CARDINALIS SANCTI HONOFRII BONONIAE LEGATVS.

Hunc Montē, quem Roma uides trans nubila opaca
Ire cacuminibus tribus, & ſumma aſtra tenere,
Cui præruptus Athos, cui nubifer Apenninus,
Cui Caſius, uaſtaq; aſſurgens mole Niphates
Regē unū agnoſcunt, non illo immēſus olympus
Nobilior, non Ida, polo non æmulus Aemus,
Hic eſt Auguſtæ fortunæ nobilis Ara,
Hic domus, hinc dotes partitur diua beatas,
Quas habet, hinc lætum effundit ditiſſima cornu
Copia, non ullæ inſidiæ, ærumnæq; timendæ
Vertice ab hoc ſancto, non hic Aconita legenti
Præſentem exhalant mortē, ſed ſuauis Amomi
Aera uiminibus nemus hic permulcet odoris,
Hic Violis, tenuisq; Roſis eſt gloria, ſudant

Paſſim ab odoriferis opulēta opobalſama ſiluis,
Hic eſt ſumma quies, labor hinc, ſpinoſaq; cura
Exulat, & molli ſuccedunt ocia plauſu,
Hic uarias meditantur Aues, dulceſq; querelas
Certatim, & docto fœcundant aera cantu,
Iam tibi Auentinus, tibi iam Tarpeia, rupes;
Illa triumphato rerum clariſſima mundo
Sordet, & ad ſanctum uertis uota ōnia Mōtem
Quare agite unanimes Nymphæ Tyberinides;
Antiquū colitis Latiū, & Laurētia latè (et quæ
Arua Deæ, hūc Montē ueſtris celebrate choreis
Spes ueſtræ ūde ōnes unde ōnis gloria ueſtra eſt

ALOYSIVS CORNELIVS CARDINA-LIS SANCTI THEODORI VENETVS.

Ocii non melius laſſis indicere Muſis
    Quàm poteram auſpicijs ſtirps generoſa, tuis
Corneli, claros atauos de gente uetuſta
    Nam tibi Scipiadum, maxima Roma dedit,
Maioresq; tui Adriacas coluere lacunas,
    Publica qua Venetum res uiget inter aquas,
Hinc tibi mox genus, atq; domus, patrijq; penates,
    Hinc uitæ hauſiſti prima alimenta tuæ,
Deniq; Roma ſibi te mater priſca popoſcit,
    Purpureoq; tuum cinxit honore caput,
Vt quæ per gentis horrentia fulmina ueſtræ
    Deiecit Libyam fortis, & Heſperiam,
Non omnino ingrata ſuis, tibi reddat honores,
    Quasq; alijs, laudum, parca negauit, opes,
Pluraq; cum dederit tibi plurima danda reponit
    Præmia ſplendori luminis apta tui.

INDEX NOMINVM EORVM IN QVORVM GRATIAM VNVMQVODQVE ELOGIVM FACTVM EST.

Alexander Campegius Cardinalis Bononienſis 56
Alexander Card. Farneſius 66
Aloyſius Card. Cornelius 76
Antonius Card. Meudonus 26
Bartholomæus Card, a Cuoua 37
Bernardinus Card. Maſſeus 47
Carolus Card. Lotharingus 43
Carolus Card. Vendoſme 73
Chriſtophorus Card. Tridentin. 31
Chriſtophorus Card. Maſſilien. 49
Claudius Card. Giury 22
Durantes Car. Durante 39
Eccleſia Romana ſacroſancta 10
Fabius Car. Mignanellus 57
Fædericus Car. Ceſius 38
Franciſcus Card. Turnonius 20
Franciſcus Car. Burgenſis 34
Franciſcus Car. Piſanus 62
Fuluius Car. Corneus 49

Hieronymus Card. Verallus 45
Hieronymus Card. Imolen. 60
Hieronymus Card. Aurius 64
Hippolytus Card. Ferrarien 69

IVLIVS III. PONT. MAX. 12
Iacobus Card. de Anebault 35
Iacobus Card Puteus 54
Iacobus Card. Sabellus 70
Innocentius Card. de Monte 74
Io. Card. Saluiatus 16
Io. Card. Bellaius 21
Io. Card. Compoſtellanus 24
Io. DominicusCar. Tranen. 14
Io. Card. Podius 28
Io. Card. ſancti Vitalis 52
Io. Andreas Card. Meſſanen. 53
Io. Angelus Card. Medices 46
Io. Baptiſta Card. ſancti Clementis 59
Io. Hieronymus Card. Moronus 30
Io. Michael Card. Saracenus. 50
Io. Petrus Card. Neapolitanus 17
Iulius Card. vrbina . 72
Lodouicus Card. Borbonius 19
Marcellus Card. Sanctæ Crucis 27
Michael Card. Viſeus 28
Nicolaus Card. Gaietanus 68

Odettus Card. Caſtiglion	65
Ottho Card. Auguſtanus	36
Petrus Card. Pacciecus	41
Petrus Card. Phanen.	57
Raynutius Card. Sancti Angeli	42
Reginaldus Card. Polus	68
Robertus Card. de Leononcourt	25
Rodulphus Card. Carpenſis	23
Roma Inſtaurata	9
Roma Priſca	8
Sebaſtianus Card. Pighinus.	55
Tiberius Card. Criſpus.	48

F I N I S.

Romæ apud Valerium Doricum &
Aloyſium Fratres Brixien.
Anno Domini.
1553.

IOTECA NAZ